INDEX LECTIONUM

IN

REGIO LYCEO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLVIII A DIE XII APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT

ANDREAE THIEL, THEOL. LIC. ET PROF. P. E.

DE CAPITULI CATHEDRALIS VARMIENSIS PRIMORDIIS

DISSERTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. MICH. JOS. KRÜGER,

PROFESSOR PUBL. ORDINARIUS.

DE CAPITULI CATHEDRALIS VARMIENSIS PRIMORDIIS.

Anselmus, qui sedata modo Prussorum septennali rebellione episcopus Varmiensis constitutus est,[1]) sane dioecesim suam miserrime vastatam invenit. In pactis a Jacobo archidiacono Leodiensi et Sedis Apostolicae legato d. 7. Febr. a. 1249 conciliatis[2]) neophyti hujus regionis promiserant quidem, se ibi sex ecclesias exstructuros: in villa, in qua sederet Jedun, in Sunines, Bandadis, Slinia, Wuntenowe, et Brusebergue. Sed eas perficere non admodum festinaverint, ita ut Anselmus adveniens „nullas vel paucissimas ecclesias parochiales“ invenerit[3]). Qui quidem simulac gregem sibi commissum suscepit, ei omni, qua poterat, ratione providere intendit. Quare statim ad erectionem ecclesiae cathedralis et capituli animum convertit. Jam initio anni 1251 se in Varmiensi parte electa „sedem locare cathedralem“ in proposito habere profitetur[4]). Quod quatenus ante a. 1260 exsecutus sit, prorsus incertum relinquendum. Ex iis, quae a. 1412 canonici medii contra majores apud curiam Romanam deferunt,[5]) sequi quidem videtur, capitulum jam antea constitutum et a. 1260 solummodo in formam postea vigentem transmutatum esse. Anselmum enim asserunt primo „viginti quatuor canonicatus et totidem praebendas ac quatuor dignitates videlicet praeposituram decanatum custodiam seu thesaurariam et cantoriam pro totidem personis capitulum facientibus instituisse,“ et postea demum, quum proventus pro tot personis non sufficere cognovisset, numerum ad sedecim canonicos et[6]) quatuor dignitarios redegisse. Sed de his apud autores fides esto![7])

Certa vero, quaeque pro sequentibus saeculis usque valuit, capituli erectio a. 1260 (mens. Jun.) facta est[8]). Hujus igitur et rationem et primam historiam per Anselmi et

---

1) Consecratus V. Kal. Sept. Valencenis, confirmatus II. Non. Octobr. a. 1250. cf. Voigt cod. dipl. Pruss. I. n. 87.

2) Voigt „Gesch. Pr.“ II. p. 620 sqq., Dreger cod. dipl. Pom. n. 191, Hartknoch ad Dusburg chron. p. 463 sqq., Dogiel cod. dipl. IV. n. 23. Manuscriptum arch. episc. Frb. C 15 f. 102 sqq. nomina ita habet: „1mo in villa sc. in qua sedet Gedu, vel prope locum illum, 2do in Sutmies, 3tio in Bardalis, 4to in Sliwa, 5to in Weitenouer, 6to in Braunsberga.“

3) Anselm. litt. erect. eccl. cathedr. de a. 1260.

4) cf. Voigt cod. dipl. II. n. 1.

5) In archivo capitulari Frauenburgensi (quod brevitatis causa semper solis litteris A. C., sicut episcopale litt. A. E. significabo) litt. L. n. 21. Etsi haec expositio ab una tantum parte profecta, tamen ab altera minime mendacii errorisve arguta est, et delatores judicio Johannis XXIII tantum ideo repulsam tulerunt, quod ad Gregorium XII se convertissent (vid. Epimetr. I.).

6) Hoc quidem false cf. infra n. III p. 9 sq.

7) Si Watterich „Die Gründung des deutschen Ordensstaates“ p. 184 jam a. 1255 Mag. Thylonem canonicum primum Varmiensem (apud Voigt cod. dipl. I. n. 100) nominari ait, is mere error oculi legentis est. Nam loco cit. Voigtii Mag. Thylo inter testes transscripti diplomatis apparet, ideoque ad hujus annum 1324 referendus. Est sane idem, qui ab a. 1317—1320 capellanus et notarius Eberhardi episcopi (cf. A. E. l. priv. ant. f. 8, 90 et saep.), a. 1320 parochus Arnoldsdorfensis (l. c. f. 5, cf. f. 29), et a. 1328 custos ecclesiae Varmiensis (l. c. f. 12) invenitur.

8) Duo de ea re diplomata emissa, quorum altero dotatio specialiter, altero summatim jura capituli comprehensa sunt. Illud quidem, quantum scio, nomine tantum notum est, quippe in sequenti ab Anselmo memoratur: „prout in litteris super hoc confectis plenius continetur.“ Hoc autem et ipsum in originali periit; sed de verbo ad verbum

successoris Henrici I tempora persequi hoc loco in animo est. Quare disserendum erit I. de loco et titulo ecclesiae cathedralis — II. de capituli cathedralis dotatione et adscriptorum fructuum perceptione — III. de numero et differentia canonicorum — IV. de ipsorum privilegiis peculiaribus.

I. DE LOCO ET TITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS.

De his rebus Anselmus ipse praefato diplomate profitetur: „in dioecesi Varmiensi ad laudem et honorem domini nostri Jesu Christi ecclesiam ad titulum s. Andreae Apostoli in civitate, quae Brunsberg appellatur, erigimus cathedralem."

Locus igitur primus ecclesiae cathedralis sedesque capituli Brunsberga erat, unde et canonici dioecesani tunc „Brunsbergenses canonici" appellabantur [9]). Sita autem illa erat in loco, ubi postea arx aedificata est, cujus in turri etiam Treteri tempore vestigia ejus apparebant [10]). Sed mox funditus diruta est. Quum enim d. 20. Sept. a. 1261 Borussi iterum rebellassent et statim Brunsbergam quoque obsedissent, Anselmus frustra resistere conatus, arcem et urbem incendio tradidit, quo facto ipse cum incolis noctu Elbingam secessit [11]). Usque ad annum 1273 dira saeviit rebellio, tum demum Varmia pacata, reditus episcopo patefactus est [12]). Interea Anselmus ex hac vita decesserat, postquam fundationem capituli autoritate apostolica (erat enim „Sedis Apostolicae per Boëmiam et Moraviam nec non per Rigensem et Gnesnensem et Salzburgensem provincias legatus") denuo confirmaverat [13]). Secutus ipsum Henricus Fleming, parochus Brunsbergensis capitulique decanus [14]). Qui vere dioecesim omnibus ex partibus restituendam invenit, quum vix ulla civitas aut ecclesia commune exitium effugisset. Quare primum eo animum intendit, ut sibi et ecclesiae suae cathedrali aptum locum inveniret.

Brunsberga, quae antea ejus regionis urbs primaria fuerat, certo mox novis coloniis repetita est [15]). Sed ibi iterum sedem cathedralem figere, parum expediens visum. Nam locus apertior, et refugium ad tuta receptacula inde nimis longum et difficile. Aptius

---

VI. Kal. Febr. a. 1264 ab eodem Anselmo S. A. legato repetitum et confirmatum est. Cujus originale, etsi vetustate paene corrosum, in A. C. litt. L. n. 14 exstat, impressum saepius („Jura Capit. Varm." summ. n. 2, „Preuß. Samml." III p. 31, Lilienthal „Die Bischofswahl im Erml." p. 54), nuperrime secundum transsumptum A. E. lib. priv. ant. f. CLXXIII a Beckmann „de primo eppo. Varm." p. 37 sqq. (ubi tamen deest in tit. Ans. „Frater de Ordine Domus S. Marie Theutonicorum in Pruscia.").

9) in priv. Waytenyn d. 20. Maj. 1261 „Herwicus plebanus Elbingensis canonicus Brunsbergensis" (A. E. l. priv. a. f. XLIII cf. Beckm. l. c. p. 35).

10) Treter „de episcopatu et episcopis Varm." p. 1.

11) cf. Dusburg „chronicon Prussiae" III. c. 84 sqq. (c. 132 „a. 1260"), Treter l. c. p. 13 sq., Voigt „Gesch. Preuss." III. p. 209 sq.

12) cf. Dusburg III. c. 131, 165, 166, Voigt „Gesch. Preuss." III. p. 320.

13) VI. Kal. Febr. 1264. Cf. supra not. 8.

14) Treter l. c. p. 4.

15) Dusburg l. c. c. 135 restitutam Brunsbergam a. 1279 ait. Privilegium novum quidem de Kal. April. 1284 (Voigt cod. dipl. II. n. 6), sed jam a. 1278 „termini civitatis de Brunsberg" (A. E. l. priv. a. f. 7.), a. 1282 „Johannes plebanus in Brunsberg" (priv. Perwitten A. C. F. f. 80), et „castrum Brunsberg" (priv. Tüngen A. E. l. priv. a. f. 24), in praedicto privilegio Brunsbergensi autem „ecclesia parochialis s. Catharinae" memorantur. Quare praesumendum, eam statim post sedatam rebellionem recoli coeptam esse. Ac revera vetus annalista Thorunensis (adhuc ineditus) hoc a. 1372, Detmar Lubecensis a. 1376 assignant (cf. N. Pr. Provbl. III. F. I. S. 146). Ceterum locus ei alius electus est. Nam antea „circa duos jactus lapidis" ab hoc distabat, sive, ut Dusburg III. c. 135 et Treter l. c. p. 4 referunt, longius, sive, ut vetus incolarum traditio vult, propius ab Habo.

castrum quoddam supra planitiem montis ad ipsum Habum proclivi videbatur, cui Brunsberga contra infideles quasi propugnaculum erat, undeque rebus periclitantibus ad Elbingam, Balgam et ipsum Gedanum facillimum iter. Quare eo Henricus cathedram suam transtulit [16]). Quo autem tempore id factum sit, dictu perdifficile est. Plastwigii verba fere innuunt, etiam in reaedificata urbe Brunsberga ecclesiam cathedralem aliquamdiu exstitisse [17]). Huc accedit, quod re vera, si excipias privilegium Brunsbergense, [18]) omnia fere privilegia usque ad annum 1301, quorum quidem locus nominatus, Brunsbergae data sunt [19]). Ex altera autem parte id adversatur, quod propriae ecclesiae Brunsbergensis s. Andreae postero tempore nusquam prorsus nec mentio nec vestigia exsistunt. Jam in privilegio Brunsbergensi enim (de a. 1284) ecclesia parochialis s. Catharinae dicitur, pusilla capella arcis autem, quae postea memoratur [20]) et hodiedum in turri ejusdem videtur, pro ecclesia cathedrali esse sane nunquam potuit. Praeterea inde ab anno 1278 canonici in territorio Frauenburgensi jam stabiles sedes habere noscuntur [21]). Quare etsi nomen ecclesiae ibi

---

16) Ut Plastwig chronic. p. 4, Treter l. c. p. 4 et Leo „hist. Pruss.“ p. 120 (secundum Simonem Grunau) referunt, hic mons vel castrum ibidem situm, sicut fundi circumjacentes „per duo vel tria milliaria patentes,“ viduae cujusdam nobilis Pruthenicae Soupnae de Sonnenberg „ex familia regulorum Nartiorum“ oriundae erant, quae ab Anselmo ad fidem conversa illos Henrico et capitulo ejus donarit. Sed nescio, quantum de tota re verum. Siquidem adveniens Anselmus statim hanc regionem, nulla mentione possessoris cujuspiam facta, a fratribus Ordinis Theut. accepit [litt. cit. recognit. d. 27. Apr. 1251. Voigt cod. dipl. II. n. 1 „fratres voluntarie adjecerunt parti nostrae, quam praediximus, quandam partem, quae situm habet inter Baudam inferius et rivum Nerusse et ab eodem rivo sursum ad miliare et inde directe reditus fit ad Baudam in loco, ubi est terminus unius et dimidii miliaris ejusdem“]. Sin autem forte nihilo secius terra haec peculium alicujus esse potuisse dicatur, at certe donationi illi episcopo et capitulo factae haec refragantur. In priv. Brunsbergensi enim (de a. 1284), etsi bona canonicorum ejus regionis memorantur, tamen Sonnenberg cum adjacentibus fundis (secundum testamentum mox citandum „100 mansis juxta Sunnenberg, 50 juxta Schaphberg“) Henrici praepositi esse deprehenditur, idque jure feudali haereditario, ita ut idem quippe „dominus“ ejus agros libere elocarit (cf. priv. ejd. de a. 1304 in A. E. l. pr. a. f. 4 et 13) et testamento aliis legarit (testam. ej. de a. 1314 in A. C. litt. C. n. 26 cf. Beckm. ind. lect. hyem. 1857 p. 8). Henricus autem minime Pruthenus aut cognatus Soupnae illius erat, sed filius Henrici clipeatoris Wratislawiensis (cf. testam. cit.). Si autem bona ea ab hac dono accepisset, sane in testamento suo ejus, quippe summae benefactricis suae, nomen inter alia peculiariter posuisset, vel pro ea specialem memoriam instituisset. Quare nescio, num quid amplius veri de tota historia sit, quam bona illa quondam viduae cujusdam Prutenicae nobilis fuisse (Soupna prutenice idem quod „domina“). Nisi forte magis placet, vocem „dominae nostrae,“ in nomine castri et montis illius male intellectam, historiae illius ansam praebuisse.

17) Plastwig l. c. p. 4. „Ipse D. Henricus civitati Brunsberg privilegium concessit. Ipse etiam civitatem Frauenburg primo exposuit. Erat tunc ecclesia cathedralis in Brunsberg in capella castri, in honorem s. Andreae apostoli consecrata. Fuitque castrum Frauenburg cujusdam honestae viduae, quae mota pietatis affectu, castrum ipsum pro ecclesia cathedrali ibidem construenda donavit. Et tunc ecclesia cathedralis tempore ipsius D. Henrici illuc translata est.“

18) Hoc quidem „in castro dominae nostrae“ datum Voigt cod. dipl. II. p. 9.

19) ex gr. priv. Kirpein de a. 1280 (A. C. F. f. 72), priv. Peythunen (l. c. f. 80) et Tüngen (A. E. l. pr. a. f. 24) de a. 1282, priv. Darathen (l. c. f. 7) et Rosenort (l. c. f. 11) de a. 1284, priv. Cleynow de a. 1286 (l. c. f. 3), priv. pro Kurthye de a. 1287 (l. c. f. 24) etc. Demum inde ab anno 1301 apparent privilegia „in castro dominae nostrae in nostra cathedrali ecclesia“ data. Sed ea fere solum capitularia [ex. gr. priv. Pilgrimsdorf de 6. Oct. 1301 (A. C. F. f. 24), priv. Rabuse (l. c. f. 37), Layse (l. c. f. 36), molendini Bornyte (l. c. f. 18) de a. 1304 etc.], episcopalia usque „in castro nostro Brunsberg,“ inde ab 8. Jul. a. 1311 (priv. Pilnik A. E. l. pr. a. f. 87) etiam „in castro nostro Heilsberg“ (quod a. 1308 privilegium civitatis acceperat cf. Voigt cod. dipl. II. n. 56) signantur. — Ceterum hoc loco mihi ingenue praedicandum est, me in his et similibus notitiis colligendis plurimum adjutum esse Regestis diplomatum, quae de utroque archivo nostro scitissime Revv. Carolus Woelky ecclesiae cathedralis vicarius concinnavit, vir non solum ab eximia historiae patriae peritia, sed etiam a candidissima sollertia, qua obstrusiores ejusmodi fontes et ipse perscrutatus est et pandit aliis, admodum laudandus.

20) in priv. Albrechtsdorf. de a. 1313 „capellae in castro Brunsberg“ lapis cerae addicitur (A. E. l. pr. a. f. 23).

21) in priv. Sandekow (Sankau) de a. 1278 non solum „castrum dominae nostrae“ et „civitas Frowenburg,“ sed etiam „obstaculum canonicorum“ in Bauda exstructum (i. e. sepes quaedam per fluvii latitudinem pro captura piscium praetensa) memoratur (A. E. l. pr. a. f. 7). Similiter in privilegio Brunsbergensi (a. 1284) „bona dominorum canonicorum“ et „domini praepositi“ in illa regione sita nominantur.

exstructae demum anno 1288 occurrit,[22]) tamen haud erraverimus, si eam statim post episcopi reditum (anno circiter 1275) illuc translatam esse sumpserimus. Ex indiciis prolatis[23]) porro id statuere possumus, Frauenburgae solummodo capituli ecclesiaeque cathedralis sedem fuisse, episcopalem autem usque Brunsbergae (et postea ab anno c. 1311 Heilsbergae) mansisse.

Denique titulus ecclesiae cathedralis initio „s. Andreae," postea „b. Mariae Virginis et s. Andreae" pronuntiatus est[24]). Nec tamen ideo ulla ejusdem mutatio facta esse dicenda. Nam „b. Mariae Virginis" titulus communis totius Prussiae erat, cui in singulis dioecesibus specialis addebatur [25]).

II. DE CAPITULI CATHEDRALIS DOTATIONE ET FRUCTUUM ADSCRIPTORUM PERCEPTIONE.

De prima dotatione Anselmus in litteris erectionis ita habet: „quasdam terras cum decimis suis, jurisdictione et aliis utilitatibus, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, pro sedecim praebendis in supradicta ecclesia habendis conferimus." Unde tantum quidem patet, statim capitulo pro dotatione certas terras cum pleno jure possessionis assignatas esse. Sed quaenam illae fuerint, longiore disquisitione indagandum est.

Primum igitur ibi id statui potest, dotationem illam Anselmi tertiam partem territorii episcopalis comprehendisse. Nam quum paulo post haec res districtius diffiniretur, capitulo certae terrae „nomine et loco tertiae partis totius Episcopatus ex antiqua donatione ei debitae" attribuuntur [26]). De situ ejusdem autem ex primo tempore tantum mancae notae adsunt. Ita „bona dominorum canonicorum" in regione, ubi hodie fundi Zagern, jacentia generatim privilegio Brunsbergensi memorantur [27]). Alia autem ejusmodi vestigia haec sunt. Inter collationes primorum annorum quaedam ab „Episcopo **et** Capitulo" fiunt,[28]) una etiam a solo Capitulo [29]). Unde sane indicatur, in ejusmodi territoriis aut commune cum episcopo aut proprium capituli dominium fuisse. Ex his indiciis igitur peculium illud capitulare in tractu Mehlsaccensi et in confinio Brunsbergensi et Frauenburgensi fuisse statuendum erit. Sed mox major ejus rei praebetur notitia.

---

22) in arbitramento infra citando de 2. Sept. 1288 (v. Epimetr. II). Anno 1287 autem generatim „ecclesiae cathedrali" duo talenta cerae addicuntur (in priv. Peregrini A. C. F. f. 6). [Ceterum eodem anno etiam „cives et consules de castro dominae nostrae" memorantur, quorum cum consilio episcopus se bona quaedam adjacentia elocasse profitetur cf. priv. curiae Bever. l. c.]

23) supra pag. 5 not. 19.

24) Quamdiu ipsa Brunsbergae, solummodo s. Andreae titulo adornatur, (cf. litt. erect. cit., Plastwig l. c. 3 sq., Treter l. c. 1), Frauenburgam translata autem sub utroque apparet (cf. Treter l. c. p. 5).

25) Ita Sambiensis dioecesis titulus „b. Mariae Virginis et s. Adalberti" (Gebser, Der Dom zu Königsb. I. p. 62 et 125), Pomesaniensis itidem „b. M. V. et s. Joannis apostoli" erat (cf. Leo „hist. Pruss." p. 79).

26) Arbitrament. de a. 1288 (v. Epimetr. II.).

27) Voigt cod. dipl. II. p. 7.

28) videlicet Kirpein (hod. Koerpen) a. 1280 (A. C. F. f. 72), Cleynow (hod. Klenau) a. 1286 (A. E. l. priv. a. f. 3), et Wusen d. 28. Jul. 1288 (A. C. F. f. 67).

29) vc. Grundin al. Cleusitten a. 1287 (A. C. F. f. 80). Collationes bonorum ecclesiasticorum secundum jus commune „cum consensu capituli" fieri debent (cf. c. 1. X. III, 10. c. 2. X. III, 24), quare ejusmodi formula in talibus diplomatis usitata est.

Anno c. 1284 discordiae de illo dominio inter capitulum et episcopum exortae sunt [30]). Quarum causas tantum ancipite conjectura assequi possumus. Diplomate Anselmi enim capitulo jus pleni dominii super partem suam tertiam non plane descriptum erat [31]). Quod persequens Henricus, sibi illic etiam supremum dominium competere ratus, collationes quasdam facere conatus est. Capitulum restitit, hic in proposito suo perseveravit, et sine ejus consensu dictas collationes fecit [32]). Quod vindicans illud omnino ei consensum canonicum detrectavit, donec causa sua justo judicio data esset [33]). — Praeterea etiam de electione canonicorum et praelatorum ab Anselmo tantummodo universim constitutum erat, ut „ab episcopo et capitulo communiter“ fieret. Unde mox dubitationes et discordias inter utrumque emergere necesse. — Fortasse etiam communis administratio, quae etsi non usque ad Hermanni tempora, [34]) tamen certe initio obtinuit, capitulo parum placebat [35]). Quare hac data occasione id egit, ut non solum dominium suum super terras competentes plane pronuntiaretur, sed etiam hae ipsae distincte diffinitae ipsius propriae administrationi darentur [36]). Igitur tandem causa arbitris decidenda data, Christiano praeposito Insulae s. Mariae, Henrico cantori ejusdem ecclesiae, Alexio archidiacono Wladislaviensi et Wernero canonico Culmensi. Qui eam ita moderabantur [37]). Capitulum „nomine et loco tertiae partis totius Episcopatus ex antiqua donatione ipsi debitae terram Wewa [38]) vocatam,“ exceptis 80 mansis ab episcopo jam elocatis ideoque aliter compensandis, pleno jure obtineret. Si tamen „dicta terra in mensuratione pro tertia parte totali non sufficere inveniretur, defectus ex adjacentibus et competentibus terris compleretur.“ Deinde idem in confinio Brunsbergensi et Frauenburgensi „60 mansos inter terminos Brunsbergenses et campum Welowe sitos,“ [39]) sicut „exceptis 12 mansis Johannis Flamingi,“ [40]) „tertiam partem terrae inter Narussam et Baudam, vc. a castro Dominae nostrae usque ad Baudam

30) De hujusmodi discordiis arbitramentum mox citandum aperte loquitur. Pro anno 1284 statuendo autem haec indicia. Ex toto anno 1283 nullum omnino privilegium collativum, quantum scio, exstat; in collationibus aestivo tempore [post Kal. April.] a. 1284 factis autem partim consensus capituli deest [cf. priv. Posseden et Suriten de 4. Jun. (A. C. F. f. 78), priv. Trumpe de 1. Juli (A. E. l. pr. a. f. 8)], partim unus tantum canonicus testis subscribitur (qui fortasse discrepantibus reliquis solus voce sua „consensum capituli“ ibi dictum effecit) (cf. priv. Darathen de 21. Jun. 1284 A. C. F. f. 87). Demum inde a d. 13. Aug. e. a. iterum illic et consensus et testimonium capituli adest (cf. priv. Cabicaym. A. E. l. pr. a. f. 49 etc.).

31) Etsi, quae „litterae super hoc confectae“ plenius continuerint, ignoramus, certe in litt. erect. tantum universim dictum: „quasdam terras cum decimis suis jurisdictione et aliis utilitatibus conferimus.“

32) Hoc quidem arbitramentum cit. aperte dicit: „de 300 mansis, quos sine consensu capituli in dote ecclesiae in feudum receperunt, 80 reservatis, reliqui canonicis remanebunt“ (cf. Epimetr. II.).

33) cf. supra not. 30.

34) Ut false Plastwig l. c. p. 6, Treter l. c. p. 11 et Leo l. c. p. 153 referunt.

35) Praesertim quum eo ipso tempore capitulo Pomesaniensi nuper erecto (a. 1285 cf. Voigt cod. dipl. I. n. 172) tertia Episcopatus pars pro peculio attribueretur (a. 1286 cf. l. c. II. n. 43). Nec non factum esse potest, ut jam tunc illic similia detrimenta, ac postea in Sambiensi dioecesi (Voigt l. c. II. n. 43), emerserint.

36) Certe eae omnes causae posteriore arbitramento definitae sunt.

37) Hujus arbitramenti jam identidem memorati (de IV. Non. Sept. 1288) duo transsumpta exstant, unum antiquius sinceriusque in A. C. litt. A. n. 19, alterum aliquatenus mutilum in A. E. C 15 f. 55b sq. Quia ipsum pro Episcopatus et capituli nostri historia gravissimum nec usquam impressum est, hoc loco sub Epimetr. II. edendum curavi.

38) A. E. C 15 f. 56a postera manu recte additum: „ita fuit antiquitus tractus Melsaccensis vocatus.“ Certe collationes capitulares statim sequentes eandem regionem monstrant. Nomen ipsum „terrae Wewa“ praeterquam hoc loco postero tempore semel tantum occurrit vc. a. 1292 in priv. Lymiten (A. E. l. pr. a. f. 25); sed campi Burwyte et Bundotaneys, qui ibi „in terra Wewa in terminis canonicorum“ siti esse dicuntur, fere aeque ignoti sunt.

39) Sunt ii campi Zawer (hod. Zagern) cf. Voigt cod. dipl. II. p. 7 et inscript. arbitram. A. C. litt. A. n. 19.

40) Sunt bona Kilien prope Frauenburgam sita, quae anno 1314 Geza, filia Johannis Flamingi, capitulo instante cum 28 mansis campi Rawus (Rabusen) permutavit (cf. A. C. F. f. 13).

et a recenti mari per ascensum Baudae se protendentem" haberet. Denique ipsum non solum „bona et possessiones suae partis iisdem juribus libertatibus usibus et dominio, quibus episcopus suam partem, possideret," sed etiam „piscationes et venationes in totius ecclesiae Varmiensis districtibus cum episcopo communes et liberas haberet."

Ita igitur quaestiones et discordiae illae compositae, et dotatio bonaque capituli inde nobis plane patescunt. Sed praeterea praedicto arbitramento episcopo impositum erat, ut pro certis terris jam antea elocatis (sc. 80 mansis) alias restitueret, ac, si terra Wewa in mensuratione pro tertia parte non sufficere inveniretur, defectum ex adjacentibus et competentibus terris compleret. Ipsum id quam primum fecisse, sane praesumendum est,[41]) nec tamen, quomodo fecerit, certo dici potest. Nam fines terrae Wewa, ut vidimus, tantum ex posteris elocationibus conjectura cognoscere possumus. Quapropter num ibi quid fundorum adjectum sit, an fines pristini manserint et compensatio illa aliunde effecta, minime patet. Equidem arbitror, ut capitulum utique acquiesceret, ei ab episcopo mediam partem regionis illius concessam esse, in qua hodie Allenstein, Wartenburg et Bischofsburg sitae,[42]) tunc autem fere nil nisi silvae et mericae incultae fuisse videntur[43]). Quae regio quum per aliquantum temporis, quippe fere tota silvestris, indivisa et communis fuisset,[44]) tandem circa annum 1348 divisa et capituli sejunctae administrationi data est[45]). — Tantum de terris, quas capitulum Varmiense intra saeculum XIII. habuisse notum est. Restat, ut de reditibus inde sumptis pauca dicamus.

Praedicti arbitramenti dispositione facta, statim capitulum propriam partis suae administrationem suscepit. Quantum potuit, novos incolas adscivit, eisque aequissimis conditionibus singulos fundos concessit[46]). Vectigalia inde provenientia fere haec erant: de quolibet aratro unus modius tritici et alter siliginis, de quolibet unco unus tritici, praeterea „in recognitionem dominii" unus Coloniensis vel sex Culmenses denarii et una marca cerae, de molendinis autem 2 vel 3 marcae usualis monetae; deinde certae pecuniae pro custodia seu defensione terrae solvendae („pecuniae custodiales" dictae).[47]) Unde primum impensae

---

41) Praesertim quum arbitramento illo statim provisum esset, ut relictae haesitationes itidem sententia duorum arbitrorum finem acciperent, qui propterea in Varmia aliquamdiu remansisse noscuntur (testes enim in aliquot ej. temp. diplomatis subscribuntur).

42) Quae regio saltem circa medium saec. XIV. capituli esse deprehenditur [cf. priv. Bertunge de f. VI. a. dominic. Rogate a. 1348 (A. C. F. f. 160), Naturn de a. 1349 (l. c. f. 108), Allenstein de a. 1353 (Voigt cod. dipl. III. n. 76) etc.], quum tamen alia nulla causa perspici queat, cur ei addicta sit.

43) Tale quid saltem fere omnia ejus regionis prima privilegia indicant ex gr. priv. Essenow de a. 1334 (A. C. F. f. 49), Bertynge de a. 1335 sqq. (l. c. f. 161 sqq.), Schippern et Wadangen de a. 1337 (A. E. l. pr. a. f. 159 sq.), Tornyn sive Cleberg de a. 1339 (l. c. f. 144), Allenstein de a. 1353 (Voigt cod. dipl. III. p. 99) etc. cf. etiam Leo „hist. Pruss." p. 137.

44) Saepius ibi „bona episcopi et capituli communia" vel „communia bona mensae episcopalis et capituli" dicuntur ex. gr. in priv. Jonckendorf de a. 1345 (A. C. F. f. 117), Gudekus de a. 1346 (l. c. f. 179).

45) Inde ex eo anno collationes mere capitulares in hac regione incipiunt (cf. priv. cit. Bertunge, Naturn, Allenstein etc. supr. not. 42). Haec divisio partialis fortasse Plastwigium in errorem duxit, ut eo anno demum omnino terram inter episcopum et capitulum divisam esse posuerit [l. c. p. 6, Treter l. c. p. 11, Leo l. c. p. 153].

46) Primae hujus temporis elocationes sunt: Nalaben a. 1290 (A. C. F. f. 86), Stabuniten (l. c. f. 82) et Tolkesdorf a. 1300 (l. c. f. 33), Demiten (l. c. 79) et Pilgrimsdorf a. 1301 (l. c. f. 24), Rabuse, Layse, Bornit a. 1304 etc.

47) cf. priv. supra cit. (not. 46 et pag. 6 not. 28 sq.), de molend. A. C. F. f. 16, 26 etc. — De magnitudine pecuniae custodialis ex hoc tempore nihil constat. In actis Johannis episcopi Sambiensis contra Ord. Theut. de a. 1322 eadem in Sambia „singulis annis ad 70 marcas denariorum se extendere" inque dioecesi Varmiensi et Pomesaniensi episcopo obvenire dicitur (Voigt cod. dipl. II. p. 127). Ipsam etiam in Varmia statim solutam esse, id testimonium est, quod jam a. 1310 ejusmodi immunitas peculiariter notatur (priv. Bludov. A. C. F. f. 9 cf. A. E. l. pr. a. f. 139 de a. 1373).

administrationis publicae[48]) et ecclesiae cathedralis toleratae, quod reliquum erat, inter omnes canonicos distributum est. In quo quum initio nulla residentiae absentiaeve singulorum ratio habita esset, anno 1343 a capitulo statutum et ab episcopo confirmatum est, ut deinceps soli residentes canonici pro rata temporis residentiae suae fructuum illorum partem perciperent[49]). Sed praeterea singuli canonici sane firmos reditus canonicatui suo adscriptos habebant. Tales quidem primum ex pecunia illa „in recognitionem dominii“ a singulis fundis soluta efficiebantur, ut quae inter „bona singulariter capituli communia“ (statuto de a. 1343) non recenseatur. Deinde autem praecipue in fructibus allodiorum constabant, quae capitulum sibi reservaverat et certo singulis praebendis suis assignaverat. Ejusmodi agri in confinio Frauenburgensi erant, quippe nunquam elocati esse inveniuntur; ejusmodi nominantur praeterea jam initio saeculi XIV allodia Bardyn,[50]) Plut,[51]) Lemkenhof[52]). — Sed de his hactenus.

III. DE NUMERO ET DIFFERENTIA CANONICORUM.

Jam supra secundum relationem quandam (de a. 1412) memoratum est, Anselmum initio viginti quatuor canonicos et quatuor dignitarios instituere voluisse. Sed revera postea sedecim tantum canonicos constituit, in quibus quinque praelati. Quod quidem ex verborum ejus contextu[53]) et computatione canonicorum usque ad a. 1300 occurrentium[54]) plane patet, nec audiendi sunt delatores illi (de. a. 1412) et Treterus (l. c. p. 1), qui sedecim canonicos **et** quatuor praelatos ab illo institutos esse referunt. Notum quidem est, posteris temporibus dignitarios quatuor[55]) praeter canonicos, et in his ipsis sedecim majores, quatuor medios et quatuor minores fuisse. Sed utrumque demum reditibus capituli plurimum auctis a Joanne (Streifrock?) episcopo inductum est[56]). Quare extra terminos hujus disquisitionis situm.

Ceterum vix addendum est, primis temporibus justum numerum canonicorum haud facile completum fuisse. Anselmus quidem „cum septem tantum divinum officium celebrasse“ narratur. Usque ad annum 1280 autem in publicis documentis duodecim memorantur; demum ab anno 1287 sedecim inveniuntur (Epimetr. III.).

---

48) Inde ab a. 1290 etiam proprius capituli advocatus institutus esse apparet. Primus h. a. nominatur Hermannus (in priv. Nalaben l. c. F. f. 86), deinde a. 1300 et 1301 Christanus (l. c. f. 33 et 79), tum a. 1304 Hermannus (l. c. f. 37) et Alexander (l. c. litt. P. n. 59 priv. molend. Burnyte), a. 1305 d. 5. Nov. Henricus (l. c. F. f. 77), 1308 d. 5. Oct. Theodericus Venter s. Büch (l. c. litt. P. n. 54, ubi simul Otto de Russin advoc. episcopi testis subscribitur).

49) In A. C. litt. H. n. 2: „fuit ordinatum, ut bona, quae singulariter dicuntur communia capituli Varmiensis, vc. pecunia custodialis, annona decimalis sc. de uncis Pruthenorum et de arathris Theutonicorum et de annonis molendinorum provenientia, deserviant tantummodo d. canonicis residentibus pro rata temporis etc.“

50) in priv. Aytze (Agstein) de a. 1323 (A. C. F. f. 71).

51) in priv. Steynebotten de a. 1323 (l. c. f. 40) et Sevelt de. a. 1325 (l. c. f. 43).

52) in regione Langwaldensi situm cf. priv. Klingenberg de a. 1334 (l. c. f. 20).

53) vid. supra pag. 16.

54) cf. index canonicorum Varmiensium ab a. 1255 usque ad a. 1300 in Epimetr. III.

55) Nam scholastici dignitas inde ab a. 1318 in publicis documentis prorsus evanescit, quare deinde quatuor tantum dignitarii.

56) Ita quidem canonici illi medii a. 1412 deferunt (A. C. litt. L. n. 21 Epimetr. I.).

IV. DE CAPITULI VARMIENSIS PRIVILEGIIS.

Ex iis, quae antea diximus, satis constat, capitulum Varmiense „clausum“ fuisse, itaque inter prima ejusmodi capitula recensendum [57]). Verum id etiam mihi asserendum videtur, illud statim, sicut totam dioecesim, jurisdictioni metropolitanae exemptum et Sedi Apostolicae immediate subjectum fuisse. Notum quidem, anno 1246 Albertum Armaghanum omnibus Prussiae dioecesibus archiepiscopum praepositum, [58]) quumque idem secundum sententiam aplicam a. 1251 latam Rigam sibi anno 1254 sedem elegisset, hanc ab Alexandro IV. anno 1255 illarum metropolim proclamatam esse [59]). Quocirca etiam Varmiensis dioecesis primam provisionem procurare subiit [60]). Sed ibi parum ex Sedis Apostolicae sententia processisse videtur, quare Anselmus tandem immediate a legato Apostolico episcopus constituitur, illius autoritate prorsus neglecta [61]). Num hic ibi statim exemtionem suam juste enuntiatam acceperit, nescitur; certe in sequentibus omnibus actibus episcopalibus nullam prorsus jurisdictionis metropolitanae Rigensis rationem habuit. Ita propria sua autoritate etiam capitulum cathedrale instituit [62]) ac, siquidem praemissa recogitamus, non otiose, sed admodum significanter in diplomate suo addidit, „Varmiensem dioecesim cum ceteris Prussiae partibus ad Sedis Apostolicae dominium spectare nosci“ [63]). Omnino vero omne, quod antea tenuerat, vinculum solutum est, quum Anselmus a. 1261 legatus S. A. constitueretur [64]). Quod factum per se ipsum inducebat, ut idem nullo modo Rigensis ecclesiae suffraganeus esset. Talis autem status Varmiensis dioecesis sequenti quoque tempore mansit. Vix ibi semel „Rigensis archiepiscopus metropolitanus“ intercessisse pro quodam infeudando invenitur [65]), jurisdictionem metropolitanam exercuisse (saltem per saec. XIV.) nusquam. Quum tamen exemptio ejusmodi magis usu recepta quam aperte pronuntiata esset [66]), Rigenses episcopi (sane haud invito Ordine Theutonico) identidem tentabant, ut Varmiam ditioni suae subigerent [67]). Tandem a. 1488 Innocentius P. VIII. sollenniter proclamavit, „ecclesiam Varmiensem ab exordio, quo christiana fides in partibus illis Domino opitulante recepta, per Sedem Apostolicam fundatam eique tunc immediate subjectam fuisse, prout subjiceretur etiam de praesenti“ [68]).

---

57) Primum tale capitulum enim a. 1238 Suerinense vocatur cf. Dürr „de capitulis clausis“ apud Schmidt „thesaur. jur. eccl.“ III. p. 153.

58) cf. Acta Bor. II. p. 624.

59) Raynald. ann. 1255 n. 64 cf. Jacobson „Die Metropolitanverbindung Rigas mit den Bisth. Pr.“ in Illgen „Zeitschrift“ ꝛc. VI, 2. p. 137 sqq.

60) cf. Voigt cod. dipl. I. n. 70 & 79. Beckmann „de primo eppo Varm.“ p. 13 sq.

61) cf. Voigt cod. dipl. I. n. 87.

62) Quum contra simili institutioni episcoporum Pomesaniensis (de a. 1286) et Sambiensis (a. 1294 et 1302) confirmatio episcopi Rigensis accederet (cf. Voigt. cod. dipl. II. n. 11 et 43 et Gebser l. c. p. 49).

63) Episcopus Culmensis in litt. erect. capituli sui prorsus eadem verba habet, sed et ipse etiamtunc Pontifici immediate se subjectum esse putaverit (cf. Jacobson l. c. p. 172).

64) Mense Martio a. 1261 ipse „episcopus Varmiensis“ (Voigt l. c. I. p. 137), d. 3. Jan. a. 1262 autem jam „S. A. legatus“ nominatur (l. c. p. 139).

65) in priv. Plekebart d. 19. Aug. 1310 (A. E. l. priv. a. f. 111). Nota a Jacobson l. c. p. 167 ex vetere codice allata, Eberhardum vacante ecclesia Rigensi per ejus capitulum episcopum confirmatum esse, falsa videtur. Nam quum jam d. 19. Decbr. 1300 sedi Rigensi Ysar praeficeretur (itaque capituli ejus administratio cessaret), Eberhardus etiam d. 9. Jan. 1301 nondum electus apparet, quippe simpliciter „cantor“ subscribitur (A. C. E. f. 64).

66) Nisi forte instrumentum ejusmodi periisse aut mox penitus obliteratum esse potius dicendum.

67) Ita quum Johannes Abezier electus esset (cf. Jacobson l. c. p. 168 sq.), similiter in schismate inter Vincentium Kielbasam et Nicolaum Tüngensem (l. c. p. 170).

68) Jacobson l. c. p. 171. Controversiae de ea re sub Luca Watzelrode continuatae vid. A. E. A 85 f. 190—192, A. C. litt. M. n. 12, Litt. O. n. 8.

Reliqua capituli Varmiensis jura praedictis Anselmi litteris erectionis aperte exhibentur, vc. ut electio episcopi capitulo, canonicorum et praelatorum autem episcopo una cum capitulo, archidiaconi denique soli episcopo competat. In quibus omnibus ille fere nil nisi jus commune exsecutus est. Nam de electione canonicorum etsi varius usus, tamen maxime ad normam canonicam erat, ut episcopus communiter cum capitulo eam perficeret[69]). De eadem praeterea praedicto arbitramento (de a. 1288) statutum est, ut ibi episcopus tantum sicut alius canonicus primam vocem haberet, itaque cum ipso residentes canonici ad vacantes praebendas eligerent.

De officiis deniquo canonicorum ex primo tempore itidem non multum patet, quum certa capituli statuta demum initio anni 1384 condita sint[70]). Quare ea nonnisi consueta secundum jus commune fuisse praesumendum. Sed id forte memorabile, quod ipsi initio ad residendum et personaliter deserviendum non ita obstricti habebantur. Nam non solum plures eorum inveniuntur, qui simul alia officia incompatibilia sustinebant,[71]) sed etiam, ut vidimus, portiones quotidianae usque ad a. 1343 omnibus sive residentibus sive absentibus distributae sunt. — Quod ad officium divinum attinet, id certe initio personaliter a canonicis persolvebatur[72]). Quum hi autem, ut diximus, residentiam non admodum observasse videntur, veri simile est, eorum defectum in choro mox per vicarios suppletum esse. Tales quidem et aliis locis hoc tempore in usu erant,[73]) et in Varmia mox inveniuntur. Ita ab Henrico praeposito anno 1314 non solum novus vicarius dotatur, „qui in vigiliis et horis canonicis in choro deserviat,“ sed etiam jam aliorum vicariorum mentio fit[74]). In privilegio de a. 1320 autem septem „vicarii ecclesiae cathedralis“ testes nominantur,[75]) et postero tempore identidem novi novis dotationibus constituuntur[76]).

Haec fere sunt, quae de primordiis capituli nostri cathedralis ex archivorum nostrorum documentis explorare potui. Quae si multis in partibus manca visa fuerint, et fontium taciturnitati et hujus occasionis arctis terminis imputandum.

---

69) cf. Thomassini „vetus et nova eccl. discipl.“ II, 1, c. 36. n. 11 sqq.

70) Exstant in A. C. S 1. f. 3—11.

71) ex. gr. Herwicus, Gottfridus et Henricus Elbingensis, Eberhardus Brunsbergensis, Jordanus Retzensis ecclesiarum parochi.

72) Treter l. c. p. 1. „Anselmus a primis aliquot annis cum septem tantum canonicis in ecclesia cathedrali quotidie horas canonicas decantavit.“

73) cf. Thomassin. l. c. 1, 3. c. 70. n. 10 sq.

74) cf. testament. Henrici cit.: „vicariis et scholaribus una marca.“

75) in priv. Peterswald. A. C. F. f. 34.

76) ex gr. vicaria s. Matthaei annis 1313, 1347—1349 (A. C. litt. C. n. 88), b. Mariae Virginis a. 1496 (l. c. litt. F. n. 10). — Ceterum illos saeculo XIV. jam fere idem, quod hodie, ministerium obiisse, ex „statuto de officiis capellani et vicariorum Gutstadiensium“ (de 11. Mart. 1381) patet, quod ita habet: „ultra missas, ad quas ex institutione seu fundatione capellaniarum seu vicariarum ac eleomosynarum suarum tenentur, omnibus horis canonicis nocturnis et diurnis interesse ac cum choro legere et cantare, et nihilominus alii eorum epistolas, alii evangelia legere, et in officiis subdiaconi et diaconi in missis, quae decantabuntur, debeant ministrare. Alii vero ferialibus diebus in festis novem lectionum et festis semiduplicibus chorum regere, videlicet cantanda et legenda incipere et intonare ac officiare (sc. „Deus in adjut. meum intende“), et capitula et collectas ad horas dicere et legere. Et in festis vero duplicibus duo, quorum erit septimana, in medio chori cum duabus cappis regent, antiphonas incipiendo, psalmos intonando, sicut in ecclesia nostra cathedrali fieri est consuetum, prout per praepositum et decanum ejusdem ecclesiae deputati fuerint et ordinati.“ (Transsumpt. privileg. Gutstad. p. 399 sq.)

EPIMETRUM I.

DELATIO MEDIORUM CANONICORUM A. 1412 CONTRA MAJORES CANONICOS APUD CURIAM ROMANAM FACTA.

Quum bonae memoriae Anselmus primus episcopus Varmiensis viginti quatuor canonicatus et totidem praebendas ac quatuor dignitates, vc. praeposituram et decanatum ac custodiam thesaurariam nuncupatam nec non cantoriam pro totidem personis capitulum facientibus in dicta ecclesia Domino servituros instituisset et fundasset, ac praebendas et dignitates hujusmodi de cunctis decimis et redditibus annuis tunc expressis dotasset, et postmodum praebendarum et dignitatum earundem proventus non sufficerent pro tot canonicis et personis in dignitatibus constitutis, praefatus episcopus inter cetera statuit et ordinavit, quod ex tunc in antea fructus decimarum et aliorum proventuum hujusmodi dumtaxat sedecim canonicis et quatuor aliis personis praebendatis in dignitatibus constitutis sub certa divisione etiam tunc expressa tamdiu assignarentur, donec fructus hujusmodi in tantum excrescerent, quod (ex eis octo) reliqui canonici etiam possent (deinde)[1]) *sustentari ... Successive idem episcopus dilectis filiis, capitulo dictae ecclesiae, nonnulla agros et allodia etiam donavit, ex quibus et aliis piis fidelium largitionibus fructus hujusmodi in tantum excreverant, quod postmodum bonae memoriae Joannes episcopus Varmiensis dicti Anselmi successor de consensu decani ejusdem ecclesiae, qui tunc erat, et dictorum capituli formam primae ordinationis praedictae innovando octo praebendas in dicta ecclesia pro complemento numeri praedicti, ut praemittitur, instituti, quatuor videlicet ad viginti, reliquos vero quatuor hujusmodi octo praebendarum ad decem marcas monetae ibidem tunc currentis (marca valente duos florenos auri de camera communi aestimatione) ex proventibus dictorum fructuum, qui sic excreverant, dotavit. Subsequenter Joannes episcopus, decanus et capitulum praefati etiam statuerunt, ut, quamprimum fructus redditus et proventus hujusmodi excrescerent et ad hoc sufficerent, dictae octo praebendae innovatae aliis sedecim antiquioribus praebendis in redditibus aequales esse deberent, prout in statutis productis juramento vallatis et litteris authenticis inde confectis Dominorum Episcoporum Decani et Capituli sigillis munitis plenius continetur. etc.*

(Ex instrumento executoriali Papalium literarum a Protonotorio Aplico Hermanno Dwerst confecto A. C. litt. L. n. 21).

EPIMETRUM II.

ARBITRAMENTUM SUPER DIVISIONE BONORUM ECCLESIAE VARMIENSIS INTER EPISCOPUM ET CAPITULUM ET DE FORMA ELECTIONIS CANONICORUM.

(De 2. Sept. 1288.)

In nomine domini Amen. Nos frater Christianus praepositus Insulae s. Mariae, frater Henricus Cantor ejusdem Ecclesiae, Alexius Archidiaconus Vladislaviensis, frater Wernerus Canonicus Culmensis ecclesiarum, super omnibus controversiis et discordiis quaestionum, quae inter Venerabilem Patrem in Christo et Dominum Henricum Varmiensem Episcopum ex una et suum Capitulum ex parte altera sunt exortae, arbytri et arbitratores seu amicabiles compositores ab eodem Patre et Domino pro parte sua, et h. Bertholdo plebano Culmensi, habente super hoc mandatum speciale, et ad majorem cautelam promittente, sub poena 200 marcarum Capitulum seu Canonicos rem ratam habituros, pro parte Capituli nominati communiter et electi: Notum facimus universis, quod taliter ordinamus, statuimus et componimus inter ipsos, videlicet: quod iidem Canonici nomine et loco tertiae partis totius Episcopatus ex antiqua donatione eis debitae terram, quae vocatur Wewa,[2]) *cum suis granitiis ex nunc in antea possideant ac teneant pleno jure. Quodsi eadem terra Wewa in mensuratione seu aestimatione sufficere non videbitur pro Capituli tertia parte totali, tunc ad nostrum seu duorum ex nobis arbitrium defectus tertiae partis*

1) Inclusa in Ms. non satis perspicua sunt.

2) Transsumptum in A. E. C 15 f. 56 addit: „ita fuit antiquitus tractus Melsacensis vocatus.“ Reliqua de hoc cf. supra p. 7 not. 38.

in Wewa ex terris adjacentibus et competentibus per D. Episcopum suppleatur. De Alberto et Conrado[3]) *taliter ordinamus, quod de CCC mansis, quos sine consensu Capituli in dote Ecclesiae in feudum receperunt, 80 reservatis reliqui canonicis remanebunt. Et pro iisdem 80 mansis nominatis D. Episcopus totidem mansos dabit canonicis convenientes eis, secundum quod duxerimus arbitrandum. Volumus insuper, quod iidem Canonici mansos sitos infra terminos Civitatis Brunsberg usque ad campum, qui dicitur Welowe, qui numero 60 esse debent, possideant ac teneant pleno jure*[4]). *Adjicimus quoque, quod iidem canonici tertiam partem illius terrae sitae inter Narussam et Baudam habeant cum quiete, exceptis 12 mansis Joannis Flamingi*[5]). *Quae tertia pars incipit a castro Dominae nostrae, ubi est Ecclesia Cathedralis, et protenditur usque ad aquam Baudam, et a recenti mari Habo per ascensum aquae Baudae; addentes, quod praedicti Canonici omnia bona et possessiones suae partis possideant et teneant eisdem juribus libertatibus usibus dominio, quibus D. Episcopus tenet et possidet suam partem. Et quod piscationes et venationes in totius Ecclesiae Varmiensis districtibus eis sicut D. Episcopo sint liberae et communes.*

Formam vero electionis Canonicorum in Ecclesia Varmiensi taliter volumus observari, quod vocatis absentibus intra terram Prussiae positis, si adesse voluerint, Canonici residentes ad vacantes praebendas una cum Episcopo, si adesse voluerit, canonicos eligant, ita tamen, quod in dictis electionibus dictus D. Episcopus sicut alius Canonicus tantum primam habeat vocem. Ceterum de consensu partium reservamus nobis a data praesentium usque ad carnisprivium autoritatem, arbitrandi super defectibus supplendis et prolatum arbitrium, si necesse fuerit, interpellandi, sub poena in compromisso adjecta, prout secundum Deum et justitiam viderimus expedire. Quae omnia et singula partes se servare promiserunt sub poena 200 marcarum argenti puri. Quam poenam pars arbitrium servans a parte non servante toties exigere possit cum effectu, quoties arbitrium fuerit violatum, pacto nihilominus in suo robore permanente. Non obstantibus, quae huic ordinationi possint esse contraria, privilegiis quibuscunque. In horum enim omnium testimonium et munimen praesentes sigillis praedictorum Episcopi et Capituli, necnon et Venerabilis Patris D. Henrici Insulae s. Mariae Episcopi ad hoc rogati et nostris, qui sigilla habuimus sc. praepositi Insulae s. Mariae et D. Alexii procuravimus roborari. Actum et datum Brunsbergae anno Domini MCCLXXXVIII IV. Nonas Septembres. (C 15. habet: „III Non. Sept.").

(Secundum transsumptum A. C. litt. A. n. 19; alterum Ms. in A. E. C 15 f. 55b sq. in multis mendosum.)

EPIMETRUM III.

INDEX CANONICORUM VARMIENSIUM

ab a. 1260 usque ad a. 1300 in diplomatis occurrentium.

	Nomina	primo	ultimo
1	Herwicus plebanus Elbingensis	1261 d. 20. Maj. (E. 43)[6])	—
2	Henricus decanus	post Anselm. Epp. Tret. l. c. 4.	—
3	Henricus decanus	1278 (E. 7)	1288 d. 28. Jul. (C. 67)
4	Henricus praepositus[7])	1278 (E. 7)	1317 d. 15. Oct. (C. 61)

3) sc. Albertus Fleming frater et Conradus Wendepfaffe maritus Walpurgis sororis Henrici eppi. Quorum ille a. 1289 in campo Baysen (A. E. l. pr. a. f. 22), hic in campo Elditten (l. c. f. 26) 110 mansos, et praeterea uterque in campo Schalmia 34 mansos (l. c. f. 10 et 11) pro compensatione accepit.

4) Welowe hodie Fehlau. Sunt bona Zawer vel Sawers (hod. Zagern), sicut in inscript. arbitram. ms. notatur. (cf. Voigt cod. dipl. II. p. 7. et A. C. F. f. 5).

5) Sunt bona Kilien prope Frauenburg sita (cf. hod. Kilienhof), quae anno 1314 Geza filia Flamingi, cum 28 mansis campi Rawus (hod. Rabuse) permutavit (A. C. F. f. 13).

6) Brevitatis causa „Archiv. Episc. Frb. lib. priv. ant." littera „E." et „Archiv. Capit. Frb. cod. F." littera „C." significabo, addito folii numero.

7) „Henricus praepositus" inde ab a. 1290 d. 23. Jul. (C. 86) in diplomatis non memoratur; demum a. 1304 d. 30. Apr. (E. 13) recurrit „Henricus de Sonnenberg praepositus," [cui 1318 Jordanus successit (cf. C. 22)]. Utrumque autem eandem personam esse, ex iis sequitur, quae supra pag. 5 not. 16 diximus.

	Nomina	primo	ultimo
5	Eberhardus cantor[8])	1278 (E. 7)	[1301 d. 9. Jan. (A. C. E. 64)]
6	Gottfridus plebanus Elbingensis	1278 (E. 7)	1288 d. 28. Jul. (C. 67)
7	Alexander	1278 (E. 7)	1292 d. 25. Maj. (E. 25)
8	Herrmannus (ab a. 1304 decanus)[9]) .	1278 (E. 7)	1322 d. 4. Febr. (E. 23)
9	Jordanus parochus Retz.	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	—
10	Lenoldus archidiac. Natangiae	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	1288 d. 28. Jul. (C. 67)
11	Johannes frater Jordani	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	1288 d. 28. Jul. (C. 67)
12	Johannes frater Gottfridi	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	1288 d. 28. Jul. (C. 67)
13	Mag. Arnoldus phisicus[10])	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	1317 d. 29. Jun. (C. 38)
14	Peregrinus s. plebanus Pilgerinus . . .	1280 d. 28. Jun. (C. 72) .	1297 d. 14. Maj. (E. 46)
15	Mag. Jordanus[11])	1287 d. 9. Aug. (C. 80) .	[1290 d. 23. Jul. (C. 86)]
16	Mag. Johannes Romanus	1287 d. 9. Aug. (C. 80) .	1290 d. 23. Jul. (C. 86)
17	Mag. Ambrosius	1287 d. 9. Aug. (C. 80) .	1290 d. 23. Jul. (C. 86)
18	Mag. Henricus[12])	1287 d. 9. Aug. (C. 80) .	—
19	Johannes de Maydeburg	1287 d. 9. Aug. (C. 80) .	1289 d. 10. Jul. (E. 22)
20	Bertoldus decanus	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	1297 d. 14. Mart. (E. 4)
21	Volcwinus custos[13])	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	1297 d. 14. Maj. (E. 46)
22	Bertoldus de Schönenveld[14])	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	1320 d. 3. Oct. (E. 5)
23	Henricus rector quondam in Colmen[15])	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	[1314 d. 7. Maj. (A. C. C. n. 26)]
24	Johannes Lemkini s. Lemmikini	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	1301 d. 9. Jan. (E. 3)
25	Bartholus s. Bartholomaeus[16])	1289 d. 10. Jul. (E. 22) .	1311 d. 26. Febr. (E. 31)
26	Hartmodus plebanus de Piczin s. Poytczin	1296 d. 14. Apr. (E. 11) .	1312 d. 19. Dec. (E. 41)
27	Henricus plebanus Elbingensis	1297 d. 14. Maj. (E. 46) .	1302 d. 29. Aug. (A. C. E. f. 7)

8) Eodem tempore in diplomatis „Eberhardus parochus Brunsbergensis“ (inde ab a. 1287 cf. C. 6) nominatur, modo „canonicus“ modo mere „parochus.“ Unam eandemque personam fuisse id testimonio est, quod electo Eberhardo episcopo statim jam nec cantor nec canonicus nec parochus Brunsbergensis ejus nominis memoratur, sed parochus Brunsbergensis quidem Johannes quidam (1301 d. 6. Oct. C 24). Eberhardus eppus mortuus est d. 8. Jun. 1326 [Tret. l. c. 7. cf. in priv. de 28. Oct. 1326 (C. 14) ipse jam „felicis memoriae“ dicitur].

9) Idem usque ad 6. Maj. a. 1304 (A. C. P. n. 59) „canonicus,“ deinde a 6. Maj. a. 1304 (C. 18) usque ad 4. Febr. a. 1322 (E. 23) „decanus“ in diplomatis subscribitur.

10) Idem in priv. de a. 1310 (C. 9) „plebanus de Radino“ dicitur. [Nisi forte scriptoris incuria „P.“ (Petrus) excidit, qui vir illo tempore (1305—1311) „plebanus in Redin“ invenitur].

11) Num forte hic idem „Jordanus,“ qui inde ab a. 1308 d. 8. Aug. (E. 70) „plebanus in Kirsburg,“ deinde ab a. 1318 d. 30. Nov. (C. 22) „praepositus capituli,“ post Eberhardum a. 1326 episcopus electus est? Qui quidem quum ad episcopatum veniret, jam „aetate admodum provecta ob idque valde debilis fuisse“ ideoque jam VI. Kal. Dec. 1328 mortuus narratur (cf. Treter l. c. p: 8, Plastwig l. c. p. 5).

12) „Mag. Henricus“ a. 1305 d. 5. Nov. (C. 77) iterum inter canonicos Varmienses occurrit, sed is sane „Henricus de Wognap s. Wogenap“ est (cf. priv. ejd. diei C. 26 et 28). qui ab a. 1317 d. 29. Jun. (C. 38) „custos,“ deinde ab a. 1320 d. 3. Oct. (E. 28) mere „canonicus,“ post Jordanum autem a. 1329 d. 20. Mart. (C. 59) „praepositus“ capituli, eodemque anno (prim. priv. de 26. Dec. 1329 E. 45) „episcopus„ apparet.

13) „Volcwinus custos“ praeterquam hoc loco tantum a. 1290 d. 23. Jul. (C. 86) invenitur. Sed sane idem „Volcwinus“ est, qui a. 1297 d. 14. Mart. „scholasticus“ (E. 4), ejd. a. d. 14. Maj. „plebanus in Leslavia“ (E. 46) nominatur.

14) sive „Bartholdus de Schonaw“ (E. 26), sane idem, qui ab a. 1308 d. 12. Aug. (Voigt cod. dipl. II p. 66) usque ad a. 1317 d. 29. Jun. (C. 38) „scholasticus,“ a. 1320 d. 3. Oct. (E. 5 et 28) autem „custos“ fuisse deprehenditur.

15) „Henr. rect. in Colm.“ quidem solum in quatuor diplomatis a. 1289 invenitur. Sed puto eundem „Henricum“ esse, qui post Volcwinum ab a. 1297 d. 14. Mart. (E. 4) usque ad a. 1314 d. 7. Maj. (l. c.) „custos“ signatur.

16) C. 26 et 28 (de 5. Nov. a. 1305) cognomen „de Rutenberg“ additur. „Bartholomaeus“ deinde ab a. 1308 d. 14. Maj. (C. 87) usque ad a. 1311 d. 26. Febr. (E. 31) „cantor“ ecclesiae Varmiensis fuisse noscitur.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Apologetices partem reliquam tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
II. De Sacramentis et de rebus post mortem futuris aget diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora X—XI.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

I. Evangelium secundum Joannem explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora IX—X.
II. Zachariam et Malachiam interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni hora IX—X.

Lic. Andr. Thiel, P. P. E.

I. Historiam ecclesiasticam primi aevi tractabit excepto die Lunae quotidie hora XI—XII.
II. Antiquitatum christianarum institutiones exhibebit diebus Martis, Jovis et Veneris hora V—VI.

Lic. Ant. Pohlmann.

I. Theologiam moralem tradere perget diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora VIII—IX.
II. Repetitorium exegeticum instituet horis postea indicandis.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

Dr. L. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum et praxin observandi ostendet diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
II. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis hora II—III.
III. Trigonometriam geographicam, i. e. Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: Sniadecki's sphärische Trigonometrie übersetzt von L. Feldt, diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
IV. Calculum differentialem, integralem et variationum tradet, et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet diebus Mercurii et Saturni hora XI—XII.

Dr. M. Trütschel, P. P. O. Des.

I. Metaphysicam tradet quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora matutina VIII—IX.
II. Logicam docebit ter per hebdomadem diebus Lunae, Martis et Mercurii hora vespertina V—VI.
III. Aristotelis de anima libellum offert interpretandum semel per hebdomadem die et hora definienda.
IV. Disputationes et repetitiones offert semel per hebdomadem die et hora definienda.

Dr. F. Beckmann, P. P. O. Des.

I. Sophoclis Philoctetam interpretabitur aut Ciceronis de natura deorum libros ter per hebdomadem hora IX—X.
II. Justini M. apologiam priorem offert latine interpretandam bis per hebdomadem horis definiendis.
III. Cultus humani historiam exponet ter per hebdomadem hora IX—X.
IV. Selecta poetarum Germanicorum carmina tractabit bis per hebdomadem horis definiendis.

Dr. J. M. Watterich, P. P. E.

Hoc semestri lectiones non habebit.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest Prof. **Dr. Feldt,** diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora XI et die Mercurii hora II commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica cum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheill-Busseanum.

Duo commilitones de disciplina arcani inscripta opuscula suo tempore Rectori Lycei tradiderunt. Quae ut a praestantia laudarentur, licet abesset multum, magnam tamen diligentiam auctorum agnoscens Ordo Theologorum utrique dimidiam praemii partem concedere decrevit.

Resignatis schedulis auctorum nomina prodierunt haec:

Franc. Jordan, Gutstadiensis, stud. theol.
Franc. Krieger, Heilsbergensis, stud. philos.